



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118472**

§. 108. Galliarum Rex sanitati restitutus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66495)

## §. CVIII.

Sæc. XVI.  
A.C. 1525.*Galliarum Rex sanitati restitutus.*

Ex tam benevola Cæsaris visitatione Franciscus Rex, medicorum iudicio, indies morbo levare cæperat, ac saltem tertium usque diem febris sua defunctus paulo post integræ valetudini restituebatur. Credebant nonnulli, quod Rex haud parum convaluisset ex Alençonis Ducissæ adventu, quæ securitatis literis a Cæsare impetratis munita, Mense Septembri *Aquis mortuis* e portu solvit, & Madritum venit, ut Regem fratrem suum officiosa salutatione consolaretur. Eadem ab ejus Matre, quæ tum Regnum administrabat, plenam obtinuit facultatem, ut cum Cæsare, qui ea adventante adhuc Madriti agebat, de Regis libertate pacisci posset; verum illa haud diu in Hispaniis morabatur, cum facile perspiceret, recuperata Regis fratris sui salute adeo non ejus liberationem maturari, ut potius inde longiorem moram acciperet. Nihilominus illa negotio finem imponere constituit; cum vero Cæsarem a præscriptis conditionibus nihil remittere cerneret, in Gallias rediit, & Franciscum de Tournon Ebreundensem Archiepiscopum subrogavit, qui pacis negotia apud Imperatorem prosequeretur.

N n 3

Cete-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1525

Ceterum Rex captus Ducissæ Regias tradidit literas, quibus Delphino ejus filio Regni administrandi facultatem concessit, eumque in Regem coronari permisit. Hoc factò palam testabatur, quod potius in carcere mortem oppetere, quam iniquis conditionibus sibi propositis libertatem suam redimere velit. Post hæc Cæsar Alenconiam Ducissam abeuntem insequi, illamque finito liberi comæatus termino comprehendi jussit; verum illa iter suum tanta celeritate perfecit, ut ultima die, qua datæ securitatis literæ expirabant, vix non Franciæ fines attingeret, ubi Claremontius eam præstolabatur, ac tam valido præsidio munitam excipiebat, ut Cæsaris jussa exequi non auderent illi, qui eam insequerentur.

## §. CIX.

*Libertatis perficiendæ negotium Madriti continuatum.*

Quamvis Carolus Cæsar Toletum ad Regni comitia reverteretur, non tamen ob ejus absentiam Madriti cessavit libertatis Francisco Regi procurandæ negotium. Hanc in rem Joannes de Selva duas pacis ineundæ vias proposuit, per quarum primam fœdus inter utrumque Monarcham sancendum censebat, ut eorum querelæ utrinque extinguerentur,